Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Therentius in Eautontimorumenon ca. viii. Vulgo audio dici diem adimere egritudinem hominibus.
Oratius in epistolis libro primo epistola xviii.
Oderunt yllarem tristes, tristemque iocosi.
Tullius tuscul. questionum libro ii. Qui id quod vitari non potest metuit, is vivere quieto animo nullo modo potest.
Ibidem libro iii. Quid est quod plus valeat ad ponendum dolorem quam cum est intellectum nichil profici, et frustra esse susceptum. Idem philippicorum lib. ii. Homines quamvis in turbidis rebus sint, tamen si modo homines sunt, interdum animis relaxantur.
Ovidius epistolarum epistola vi.
Quelibet ad facinus ipse dat arma dolor.
Idem epistola vii.
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Idem sine titulo sive amoris libro primo ca. vii.
Minuit vindicta dolorem.
Idem de remedio amoris libro ii.
Et quis non causas mille doloris habet.
Idem metamorfoseos libro iii.
dolor vires adimit.
Idem libro iiii.
Mens est que diros sauciat ictus
Idem libro viii.
Quis enim sua prelia victus
Commemorare velit? pars est meminisse doloris.
Idem de ponto libro primo epistola v.
Mensque pati durum sustinet egra nichil.
parcendum est animo miserabile vulnus habenti.
Quintilianus declamatione iii. declamatione. Humane infirmitatis ista natura est ut ex omnibus accidentibus gravissimum putet quisque quod patitur. Idem v. declamatione. Hec omnibus natura est ut sua cuique calamitas precipue misera atque intolleranda videatur.
Paulus ii ad corinthios ca. vii. Que secundum deum tristitia est, penitentiam in salutem stabilem operatur. Seculi autem tristitia mortem operatur.
Seneca tragediarum in ypolito ca. iii.
Non levat miseros dolor.
Idem in edipo ca. iii.
Ubi leta duris mixta in ambiguo iacent
Incertus animus scire cum cupiat timet.
Idem ca. xii. et penultimo.
Dulce merenti populus dolentum
Dulce lamentis resonare gentes
Lenius luctus lacrimeque mordent
Turba quas fletu similis frequentat
Ferre quam sortem patiuntur omnes
Nemo recusat.
Est miser nemo nisi comparatus.
Idem in agamenone ca. vi.
Clades ferre qui refugit suas
Gravat timorem; dubia plus torquent mala.
Idem in hercule oetheo ca. vi.
O si pateant pectora ditum
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus.
Idem epistolarum ad lucillum libro ii. epistola vi. et fi. Ne sis miser ante tempus, cum illa que velut iminentia expavisti, fortasse numquam ventura sint, certe vel non venerunt. Et si futurum est quid iuvat dolori suo occurrere. Satis cito dolebit cum venerit. Interdum tibi meliora promitte. Sepe metu tempora.
Idem libro vii epistola x. Turpissimum est in homine prudente remedium meroris lassitudo merendi. Nulla res citius in odium venit quam dolor. Dolor recens consolationem invenit, et aliquos ad se adducit. Inveteratus vero deridetur, nec inmerito, aut enim simulatus aut stultus. Ibidem libro x epistola iii. precogitati mali mollis ictus venit. Idem libro xiii epistola iii. Tam miser est quisque quam credit, quamquam expectatum est diu levius accidit. Idem lib. xiii epistola ii. Non affligit sapiens liberorum amissione, non amicorum. Eodem enim animo fert illorum mortem quo suam expectat. Quid est dementius quam angi futuris, nec se tormento reservare sed accersire sibi miserias. Ibidem epistola iii. Inexpectata plus aggravant. no
Idem libro xvi epistola iii et penultimo. Supervacuum est dolere, si nichil dolendo proficias. Nemo libenter tristia conversatur. Idem de tranquillitate animi. Tollerabilius est non acquirere quam amittere. letiores videbis quos numquam fortuna respexit quam quos deseruit. Nichil tam acerbum in quo equus animus solatium non inveniat. no
Idem de prudentia. Magis urget pena inexpertos. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Naturale est sepius manum recurrere ad id quod doleat. no
Idem de consolatione ad paulinum. Nichil est difficilius quam magno dolori paria verba reperire. Quid tam humile ac muliebre est quam consumendum se dolori committere.
Lex ff. ad l. Iul. de adult. l. si adulterium cum incestu. § Imperatores. Difficillimum est iustum dolorem temperare.
Autor libri de formula honeste vite ca. iii. Magni animi bonum est non timere sed constare sibi, et finem vite huius intrepidus expectare.
Maximianus.
Pena minor certam subito perferre ruinam
Quam timide gravius sustinuisse diu.